DISSERTATIO EX

DE

VERA NOT

VOCIS

ΤΕΛΕΙ

EIVSQVE ET DERIVATAR

IN EPISTOLA AD

CVM

OBSERVATIONIBVS QVIBVSD

HVIVS EPISTOLAE LOCA S

QVAM

AVSPICE D

RECTORE MAGNIFIC

SERENISSIMO PRINCIPI

DOMIN

WILHELMO H

DVCE SAXONIAE IVLIACI CI

ANGARIAE WESTPHALIAE C

ET WITTGENSTEINII

AMPLISSIMI ET SAPIENTISSIMI

ORDINIS INDV

AD APRILIS A. R. S. CIↃ IↃ

PRAESI

M. OTTONE LV

KOENIGSM

PVBLICAE ERVDITORVM συζη

RESPONDE

JOHANNES CHRISTIAN

BIBRA-FRANCVS SS. THEO

JENAE, LITTERIS CHRISTIAN.

EXEGETICA

DE

OTIONE

GIS

EIOC,

ATARVM VOCVM VSV

AD HEBRAEOS

V M

IBVSDAM CONTROVERSA

LOCA SPECTANTIBVS.

AM

CE DEO

NIFICENTISSIMO

NCIPE AC DOMINO

MINO

O HENRICO

ACI CLIVIAE MONTIVM

LIAE COMITE SAYNAE

TEINII RELIQVA

TISSIMI PHILOSOPHORVM

INDVLTV

. CIↃ IↃ CC XXXVIIII.

ESIDE

LVDOVICO

SMANNO

VM συζητήσει SVBMITTET

NDENS

TIANVS SCHVBART

S SS. THEOL. CVLT.

STIAN. FRANC. BVCHII.

Ignatius Epist. ad Smyrn.

Αρχη ζωης, πιστις. τελος δε, αγαπη. τα δε δυο εν ενοτητι γενομενα θεου ἄνθρωπον αποτελεῖ.

Clem. Alexandr. Παιδ. Lib. I. Cap. 17.

Βαπτιζωμενοι φωτιζομεθα: φωτιζομενοι υοποιουμεθα: υοποιουμενοι τελειουμεθα: τελειουμενοι απαθανατιζομεθα.



PROOEMIVM.



ARdua eſt, quam aggredimur, Sincere LECTOR, uſus vocum τελειος, τελειοω, τελειωσις, τελειοτης & τελειωτης in Epiſtola ad Helleniſtas Judæos expoſitio. Si enim ulla in hac epiſtola vox eſt graviſſimi momenti, quæ omnem meretur meditationis operam, certe noſtra eſt, *quod totius epiſtolæ conſtituat argumentum*: qua quidem in re, ſi, ad quos ſcripta ſit, conſideres, aſſenſum nobis haud denegabis. Miſſa nimirum ea eſt non ad νηπιους, rudes, gentiles, tirones, & κατηχουμενους, quibus prima chriſtianæ doctrinæ elementa erant ingerenda, ſed edoctos jamjam in fide chriſtiana, & in præceptis doctrinæ ſalutaris probe inſtitutos. Quantæ vero in adplicandis ſalutis per Chriſtum mediis Judæis præ paganis erant

 præro-

prærogativæ? habebant promissiones, vaticinia, typos, & delineationem Novi Fœderis in umbra; quid mirum, quod cognoverint perspicacius implementa, veracitatem Dei, antitypum Christum, & veritatem christianæ confessionis? ut adeo, si mens multorum tam læva non fuisset, excidere felicitate per Christum parta ne unum quidem potuisse putares.

Sunt utique tales, ad quos exarat literas Magnus Gentium Doctor, qui cognitionem veritatis adsensu suo comprobaverant, qui viam salutis probe norant, qui per ministerium discipulorum Christi & Apostolicorum virorum omnia hauserant ad animarum salutem necessaria. Quod ipsum in epistola passim non obscure significatur. Sane, *quorum erat officium audita & edocta firmiter conservare, ad quos ab ipsis Domini discipulis translata erat salus Novi Fœderis* * *quibus exemplo abominando proponitur impia majorum cohors, quæ singulari modo gratiosa habens Dei miracula obtorto collo summæ gratiæ restiterat*, ** non esse non poterant in fundamentis religionis christianæ eruditi. Nihil illis apprecari salubrius poterat

* II. 1. 3.

** III. 7.

poterat Paulus, (quem epiſtolæ autorem major argumentorum vis evincit, quam ea, quæ pro Luca, aut alio quopiam militat) quam conſtantem cognitionis uſum; nihil illis deerat, quam continuus in felicitate progreſſus, quam perennia ſalutis incrementa, quam majores ad cognitionem acceſſiones: atque hoc ipſum omni data opera agit Apoſtolus, ut gementibus ſub perſecutionis onere & hoſtium furore territis addat conſtantem animum. Eſt proinde argumentum epiſtolæ *adhortatorium*, & aptius ei nomen imponi nequit, quam quo ab ipſo autore inſignitur, λογου παρακλησεως*: non tam docet Paulus, quam exhortatur: non tam erudit, quam confirmat: non tam inſtituit, quam excitat: excitat vero ad conſtantiam *in fide vera, in vita pia, & in adverſis patientia.* Conciliant παρακλησει ejus graviſſimum pondus, ſuntque ad Ebræos aptiſſima, quæ eam comitantur, argumenta: in veteris Fœderis obſcuris umbris ambulans lumen evangelii omnia illuſtrans, omnes diſpellens tenebras monſtrat, auſteritatem Moſaicæ legis ſuperatam ab Evangelii ſalutari ſuavitate, rituum & ceremoniarum moleſtam congeriem vinci a ſalutis mediis in Nova Oeconomia ſaluberri-

 mis

* XIII. 22.

mis ostendit, ut ita opposita juxta se posita magis elucescant. Destruit ante omnia vulgarem Judæorum de Messia opinionem; Christum passionibus, miseriis, afflictissima rerum facie perficiendum fuisse dicit, necessitatemque humilitatis nostri Salvatoris inculcat, qui eo ipso Prophetico munere Mosen,* Sacerdotali Josuam & Aaronem, ** Regio Melchisedecum longe antecelleret. *** Felici hoc instituto excitat Ebræos, Viros in Christo, ad avide adplicandam, ad constanter conservandam summam regiminis Messiani præstantiam; atque per hanc quidem constantiam ad vitæ christianæ fastigium eos adducere, nec non excitare in iis ideam aliquam Christi, & christianarum æmulationem virtutum satagit. Non melius illis præbere exemplar, eximius, præstantius, atque perfectius proponere prototypon potuit, quam ipsum omnibus perfectionibus absolutissimum Salvatorem: ad ejus perfectiones adspirare jubet Ebræos ejusque ad imitationem sibi proponere pietatem, constantiam, obedientiam. Et hoc, & illud oratio ejus maxime curat; ad utrumque vividius & exactius exprimendum illis utitur vocabulis, quæ dissertatio nostra in fronte gerit: τελειωθεντος χριςȣ τελειȣς ανδρες Ebræos desiderat.

Vi-

* Cap. III. ** Cap. IV. V. *** Cap. VII.

Vides, mi LECTOR, quid sit nostrarum partium, si, quod suadet inscriptio meditationis nostræ, sumus executuri: erit autem, quo sensu τελειων * τετελειωμένος ** & τελειωτὴς *** Salvator, quo sensu τέλειοι **** & τετελειωμένοι ***** fideles dicantur, atque, quatenus harum vocum emphasis fidelibus Viatoribus, quomodo Christo competat, & ex qua parte deficiat ad propositum exemplar imaginis similitudo, curate definire. Hoc autem ordine nostro nobis liceat fungi officio, ut antequam horum vocabulorum adplicatam notionem eorumque in epistola usum ostendamus, & definiamus, sedulo inquiramus in primam eorum notionem, &, quem usum ea antiquitus habuerint, circumspiciamus. Accedent dein observationes quædam, quas propria quondam meditatio suggessit, quæ nonnullam forsan lucem iis epistolæ locis afferent, de quorum sensu non easdem fovent sententias Viri Docti. In sinu gaudebimus, si, effecisse nos promissa, dices: eo ipso ad alia nos excitabis in præstantissimo hoc scripto omni studio, omni labore deducenda.

Interea his fruere, & vale.

* X. 1. 14. ** VII. 27. *** XII. 2. **** V. 14.
***** XXII. 23.

CON-

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

§. I. Nun-



§ I.

NUnquam ſatis bene de *vera notione* vocis cujusdam decernetur, niſi eam vel pro ipſo themate agnoſcas, & examines ſedulo, vel, ſi a themate alio deſcendat, in hujus thematis atque radicis ſignificatum inquiras, atque ita denique de notionibus vocis derivatae, & determinationibus derivatarum reliquis, quatenus illæ ad thema accedant, quatenus a notione eius deflectant, judices. Certo enim certius eſt, habere quamvis radicem & Ebrææ & Græcæ, ceterarumque inprimis linguarum, quae hominibus, qui verſus Orientem incolunt, vernaculæ ſunt, notionem quandam *formalem*, quam ajunt, ſeu omnium primariam, ad quam determinationes reliquæ reduci poſſunt & debent omnes. Sunt ideo irritæ querelæ, quod pugnent quandoque in

lingua Veteris Instrumenti notiones vocum derivatarum cum primo radicis significatu, eique sint prorsus contrariæ, cum tamen de ipso radicis significatu nondum satis constet. Determinationes e g. vocis; ארבה tales tibi videbuntur, nisi perspectum habeas, radicem ארב proxime notare: *foramen facere*; ex quo cum insidias struere soleamus hostibus significatdeinde *insidiari*: ארבה vel אֶרֶב aut אֹרֶב erit itaquae *foramen* primario, vel *hiatus quicunque*, per quem si fumus ascendat, erit *caminus* *, si per illum lucem fortiamur conclavi, erit *fenestra* ** si per illum actiones hostium milites, aut cursum ferarum venatores observent, erit *specula* *** si denique per illum aquae cælestes descendant, erit *catarasta* seu apertura & hiatus nubium, per quem magno cum impetu aquæ ruunt. Egregius erit & nunquam satis celebrandus labor, quem a Viro quodam Eruditissimo sperare jubet fama, qui in eo esse dicitur, ut, quam laudabili instituto incepit B. noster STOCKIVS, pertexat telam, & radicis cuiuscunque primum conceptum ex collatis scripturæ locis, & linguarum cognatarum usu tradat demonstratum. Nostrum jam est officium, quando notionem vocabuli τελειος, (quod, si quodpiam aliud, πολυσημον se nobis exhibet) & reliquarum vocum idem cum eo thema habentium, eruere satagimus, erutamque ad usum Paulinum peregregium & sapientissimum adplicare, ut in indagatione ipsius thematis toti simus. Non videbitur cuiquam perdita, quæ huic negotio impenditur, opera, qui gravissimas voluit animo veritates, quibus hæ voces in literis ad Hebræos inserviunt, nec etiam feliciori unquam instituto ad examen accuratum revocari queunt, quæ

* HOSE. XIII. 3.
** 2. Reg. VII. 19.
*** IOB. XXXVII. 8.
**** MAL. III. 10.

quæ de justificatione in Veteri Oeconomia facta, ejusque a justificatione Novi Fœderis dissensu sibi persuasit eruditus COCCEJUS &, qui eius placita sua fecerunt, vera atque recta putaverunt, & ex locis epistolæ nostræ jam exanimandis adstrui sunt arbitrati, quam si omni studio videatur, num sententia Virorum Doctorum per vocem τελειωσις exprimatur, & per eam stabiliatur, an vero primæ & usitatæ notioni hujus vocis, *a qua sine necessitate recedendum haud est*, ea contraria sit. Agnoscere vocabulum τελειος primam originem vocem τελος ut nobis persuadeamus, jubet significatus hujus vocis a notione verbi τελλω maxime dissentiens, notiones autem derivatorum native exhibens. *Simpliciorem etiam radicem non desideres, quæ ipsa vero, si

* Non enim placet etymon vocis τελος a verbo τελλω. Est qui ita putat VARINUS PHAVORINUS CAMERS in Dictionar. ad h. v. Δοκει δε απο σεμνοτητος λεξεως τε τελλειν το τελος γινεσθαι, ποιον αν εκεινο ειποι τις. προανατελλει γαρ πως απασης πραξεως, ο κατα το τελος και αυτε ενεκα τα προ αυτε. Leve sane etymi fundamentum: *quia ante omnem operationem oritur aliquo modo, quod secundum finem est, quia propter illum finem sunt, quæ ante illum sunt, ergo denominatio finis petitur ab illis, quæ finem antecedunt.* Sed magnum STEPHANUM quoque ab hac etymologia non video alienum. Vocis τελος thema constituit τελλω *Thes. ling. Græc. Tom. III. p* 1366. & ad vocem τελος p. 1369. ita disserit: τελος *Finis, exitus.* Nisi prima significatio hujus nominis existimari debet illa, quam habet apud Homerum cum alibi, tum ubi dicit, τελος μυθω επιτιθεναι Iliad. τ. Neque enim hic ουδε τελος μυθω επιθησεις aliud est, quam non præstabis re, seu efficies, quod dicis, ideoque non satis apte reddi posse videtur hic τελος voce *finis.* Sed, quæ commodior videatur, nulla alia in præsentia mihi occurrit, quam *effectus* existimo enim, talem esse ejus usum apud Nasonem in hoc versu:

si usum ejus consideremus, varios subit significatus, qui nullum primo intuitu suadent consensum. Vsitatiorem quidem non videbis, quam illum, qui per *finem* exprimitur, Novi instrumenti scriptores in consilium adhibeas, aut profanorum evolvas volumina. Vnde est, quod vel cum praepositionibus εις, κατα, προς, vel omissis iisdem τελος adverbialem saepe indicet, quem dicunt, significatum & *ultimo, postremo, denique* vertatur. Aelian. Lib. X. Var. Hist. Cap. XVI. Επει ο Αντισθενης πολλους προυτρεπεν επι φιλοσοφιαν. οι δε, ουδεις αυτω προσειχον. τελος αγανακτησας ουδενα προσιετο: *Cum nullus eorum, quos Antisthenes ad sapientiae studium excitabat, auscultaret, ultimo indignatus neminem admisit.* Verum non usitatiorem solum sed & *primam* & *formalem* hanc notionem habemus, ita vero, ut τελος designet FINEM quemcunque INTENTVM. *a*) IGNATIVS *Epist. ad Roman.* quae inter genuinas

Non caret effectu, quod voluere duo. Convenit autem haec significatio nominis τελος cum ea significatione verbi τελλω, qua ponitur pro *efficio*. *Et paulo post:* In soluta oratione τελος pro *fine* passim obvium est, ubi jungitur etiam cum verbo επιτιθεναι, & διδοναι, & εχειν. Hactenus STEPHANVS. Aut per *finem* intellexit eventum & exitum rei, qui praeter scopum agentis nonnunquam accidit, aut non vidit Vir Eruditissimus, omnia, quae de effectu disserit, frustra dicta esse. Nam ex canone Philosophorum, *effectus est finis causae efficientis.* * Quia autem verbum τελλω inter specialiores notiones habet *efficere*, inde non sequitur, τελος deduci debere a τελλω. Testimonia Poetarum HOMERI, NASONIS, si contra nos essent, nihil probarent, qui propter mensuram inserunt voces aliquando incongruas; sed contra nos non sunt. Prosaici denique scriptores, quos ultimo loco citat STEPHANVS nostrum thema confirmant.

a) Addimus INTENTVM, vt finis distinguatur ab utilitate: ille supponit Ens intelligens: haec non item.

* Vid. Excell. nostri REVSCHII Metaph. §. 272.

nas refertur, p. 244. *ex edit* NIC. VEDELII. *Δεδεμενος γαρ εν χριστω Ιησȣ ελπιζω υμας ασπασασθαι, εαντερ θελημα ȝ τȣ αξιωθηναι με εις τελος ειναι. Η μεν γαρ αρχη ευοικονομητος εϛιν, εαντερ χαριτος επιτυχω εις το τον κληρον μȣ εις περας ανεμποδιϛως απολαβειν. Vinctus namque in Christo Iesu spero me salutaturum vos, si voluntas (Dei) sit, ut dignus habear, qui ad metam & FINEM INTENTVM perveniam. Initium enim bene se habet, si modo gratiam consequar, ut sortem meam sine impedimento ad finem usque percipiam.* Quo quidem loco clarior esse non poterit. Ceteros significatus hujus vocabuli *τελος* colligas, & sine labore videbis, omnes ad hanc, quæ indicata est, notionem referri posse. Sunt fere *quatuor* determinationes, quas vocem hanc sustinere usus sacer & profanus docet. *Vectigalia* denotat vox *τελη*, & *administratores eorum* sacris scriptoribus dicuntur *τελωναι*, profanis nonnunquam etiam *οι εν τελει*, unde *magistratus* sortitur apud eos nomen *τȣ εν τελει*, apud Xenophontem sæpius id legas. Affinis huic significatus est, quem alioquin suscipit vox *τελος*, *sumtus*, & *expensi*. Est porro alia, quam sustinet, notio *turmæ* & *cohortis militaris*. Denique ad *nuptias* etiam designandas haud raro adhibetur, quod ab usu vocabuli *τελειος* dependere videtur, quod, ut deinde monebimus, *adultum* etiam describit. Superiores sane determinationes cum prima, quam suppeditavimus, notione non pugnare arbitramur. Sunt vero partim fines intenti, partim media, per quæ finis intentus acquiritur, itaque miror, quod usus hujus vocis non ad plura adplicatus fuerit, quæ quemcunque finem causæ vel efficiunt, vel antecedunt, vel promovent, vel alio, quo demum fiat, modo augent. Profani interim scriptores ita hac voce quasi abutuntur, sacri vero formalem quæ data fuit, notionem fere servant, nisi quod Rom. XIII. 7. & Matth. XVII. 25. ea vectigal exprimat.

§. II.

Si igitur τελος primario notabit *finem intentum:* non magna opera cognoscitur, quem inde τελειος proxime suscipiat significatum, quid significent τελειοω, τελειωσις τελειοτης, & τελειωτης. Erit nempe τελειος is, qui nanciscitur *finem intentum*, τελειωτης, qui *finem intentum* rei imponit, vel aliis dat, & τελειοω significabit, *finem indentum acquiro*, τελειωσις vero & τελειοτης *finis intenti* erunt *impetratio*. Produnt hac ratione hæc vocabula notionis suæ ambitum. Eum, qui finem intendit, atque vult, media etiam velle, &, qui finem adipiscitur, media etiam adhibuisse, tam verum est, quam quod verissimum, tritaque Philosophis regula. Τελειος itaque & τελειωτης demum erit, *qui eo ordine & studio adhibet media, ut fini ultimo & intento conveniant eumque pariant.* Cum vero hoc nihil aliud siti, quam instituere consensum plurium a se invicem differentium in vno, seu efficere, ut media a se invicem differentia ad unum obtinendum finem conspirent, consensus autem plurium a se invicem differentium in vno dicatur *Perfectio*, & in quo singula contendunt, vel multa, ad aliquod commune actuandum dicatur *Perfectum* * perfectus is erit, qui vere τελειος dicitur, & *perfectum facit*, cui τελειωτης & τελειοω tribuitur, *habebit* vero *perfectionem*, qui τελειοτητα habet & τελειωσιν. Perfectio essentialis est, quæ constat consensu determinationum essentialium, perfectio accidentalis, in qua cum essentialibus determinationes accidentales consentiunt, cum autem τελος denotet finem intentum, intendatur vero ille ab ente intelligente metaphysica prædito perfectione, sequitur, quod τελειωσις *proxime* indicet eam perfectionem, quæ ad essentialem accedit, seu *aliam, quam quæ est essentialis*, τελειος vero

dicatur

* Vid. Cel. REVSCHII Met. §. 114. ff.

dicatur, qui consensum essentialium determinationum cum accidentalibus conjungit, seu *qui habet perfectionem accidentalem.* Ubi est perfectio, ibi est ratio determinans perfectionis, nam unum id, in quo consentiunt varia in perfectione est ratio, cur hæc varia in perfecto ita se potius habeant, quam aliter: ratio ista determinans vel ex specie entis deducitur, vel fluit ex genere. Illa dicitur primaria, hæc secundaria. Cum vero τελειος designet accidentali perfectione præditum, denotabit proxime *eum* qui *perfectionem unam habet seu plures primarias.* Simplex est perfectio, si una, composita, si plures adsunt rationes determinantes Ratio determinans ex specie entis deducta est etiam ratio determinans: Ratio hæc ex specie entis deducta unica esse potest & plures possunt adesse. Consequenter ratio determinans ex specie entis deducta, seu perfectio primaria potest esse composita: aut ratio una determinans ex specie entis desumta aut perfectio una primaria potest esse simplex: τελειος designat omnem perfectionem primariam: *Ergo τελειος designare potest & eum, qui habet simplicem, & eum, qui habet compositam perfectionem primariam, seu, qui habet maiorem aut minorem perfectionem primariam.* Prono fluunt alveo quæ hactenus differimus, ex vera notione vocabuli τελειος adhibito sano rationis usu, nec, si attentum adhibeamus animum, adversantur illis Græcorum θεοπνεύστων Novi Fœderis scripta, & vocum nostrarum in Voluminbus profanorum usus.

§. III.

Eam autem intimius fovere notionem, quam ei primariam esse diximus, vocem τελειος apud Scriptores Græcorum, ingenti exemplorum congerie probaremus, nisi limites dissertationis menti obversarentur, nisi etiam lector

ctor φιλελλην ea ubiuis haberet obvia. Unum excitasse sufficiat exemplum, quod insimul ceteros hujus vocis vsus prodat: AELIANVS *Var. Hist. Lib. IV. 3.* Και ο μεν Πολυγνωτος εγραφε τα μεγαλα, και εν τοις τελειοις ειργαζετο αθλα: ubi quidem notat τελειον id, in quo finis intentus impetratus est, in quo omnia ad adultum animal conspirant, quod animalis adulti habet perfectiones seu uti ait, PERIZONIVS ad *h. l.* animal *statura adulta*, seu, quæ & qualis in confirmata est ætate. Ita homo *adultus* Græcis dicitur τελειος, quia nimirum finis intentus gloriæ divinæ in eo maxime est impetratus, ut adeo τελειοι distinguantur a *pueris*, & valde *adolescentibus*, unde etiam *nuptiarum* significatus voci huic accidit. Digna sunt Cl. PERIZONII ad locum AELIANI, quæ huc adponantur: τελειος, inquit, notat maxime animal staturæ adultæ, seu quæ & qualis in confirmata est ætate *VII* 13. αλλ οιγε νεοι, ωσπερ ουν πωλοι προς τον τελειον αποβλεπουσιν εμε h. e. ut pulli adultum equum *XIII.* 1. De Atalanta. μεγεθος μεν γαρ ετι παις ουσα υπερ τας τελειας ην γυναικας. *Hist. Anim. II.* 42. μαχεται δε ο τελειος ιεραξ και προς αλωπεκα, justæ magnitudinis & integræ ætatis accipiter. Hinc ergo putem, etiam Jouem τελειον, & Junonem τελειαν appellatas, quo nomine ετιμωντο εν τοις γαμοις, ως πρυτανεις οντες των γαμων, ut ait SVIDAS in voce τελειος, quia *nuptiæ* suut των τελειων, si ordinem sequamur naturæ; Sed & nuptias hinc τελος appellari, quia sunt quasi consummatio adolescentis ætatis, unde τελειοι sunt οι γεγαμηκοτες EVSTHATIO ad *Il. B. p.* 246. & A. *p.* 832. quibus qui erant Dii, recte id circo τελειοι & ipsi dicuntur. Est igitur, quem prodidit nobis Cl. PERIZONIVS, hic usus vocis τελειος apud profanos, ut id, quod ad justam perfectionem pervenit, consequenter, in quo impetratus maxime Dei finis intentus est, designet, ideoque animalia justæ

ætatis,

ætatis, quæ in eo sunt, ut gloriam Dei augere possint commode, hac voce denotentur. Migravit e profanis in sacra hic usus vocabuli *τελειος*, ubi eandem, quam in profanis, ætatem, adultam scilicet & confirmatam denotat, quæ fini cuidam media poterit apte subordinare.

§. IV.

In Ecclesiæ priscæ monumentis, & scriptis Patrum insignem hujus vocabuli usum legimus: designarunt eo, quod in suis sacris agentes viderunt Paganos * duo Novi Testamenti mysteria, *Sacri lavacri* & *Cænæ Dominicæ* sacramentum. *Επι το τελειον ελθειν* ipsis erat *ad S. Synaxin accedere*: & *τελειωθηναι τω της παλιγγενεσιας λυτρω* ipsis significabat *sacro tingi lavacro*, ut adeo ATHANASIUS *Orat. III. contra Arianos t. I. p. 413.* dicat, *Εις ονομα πατρος και υιου διδοται η τελειωσις.* Mortem etiam martyrum ita designabant. Denique consecrationi sacerdotum voculam *τελειωσιν* nonnunquam inserviisse, ut & antecedentia, quæ adduximus, affert JO. CASP. SUICERUS in *Thesauro Eccles. T. II. p. 1256. & seqq.* Nec sine ratione ita loqui amasse reverendos Patres, facile intelligitur. Per *cænam* sane *Dominicam* finis, quem reconciliationis & unionis cum Deo propositum habent ea utentes, maxime obtinetur. *Sacri Lavacri* usus regenerationis finem largitur: & initiatio sacerdotum eundem tradit singularis cultus divini scopum. Cujus quidem initiationis liturgico, quem ajunt, significatui utplurimum inhærere Alexandrinos Interpretes, si, quæ ex S. Codice per voces nostras transferant, investigamus, atque, ubi de consecratione & initiatione Sacerdotali loquitur textus, *τελειωσεως* adhibere vocabulum, inveniemus. ** Quem quidem LXX Interpre-

C

* vid. PERIZONIUM ad Ael. Var. Hist. Lib. II. Cap. XXXI.

** Ubi e. g. fontes habent Exod. XXIX. 9. ומלאת יד־אהרן ויד־בניו Alexandrini loquuntur: *και τελειωσεις Ααρων*

pretum hujus vocis usum si ex usu Patrum primorum seculorum trahere originem suspicemur, quem imitati fuerint hi Interpretes, adeoque ætatem eorum justo antiquiorem a Viris Doctis constitutam destruamus, nihil conamur, quod omni destitueretur veritatis fundamento. Id quidem extra omnem dubitationis aleam positum putaverim, Sanctum Paulum, ceterosque N. T. Scriptores in usu nostrarum vocum Lxx viralem versionem minime fuisse imitatos, * sed ad naturalem earum significatum attendisse.

§. V.

Neque vero adversantur iis, quæ de voce *τελειος* præfati sumus, virorum divino actorum in Novo T. spiritu scripta, sed, quantum perspicio, non exiguum robur iis addunt. Juvabit autem singula loca, quibus hujus vocis usus est, solerti & succinctæ meditationi subjicere, antequam Paulinam mentem penitius inspicere licebit.

Matth. V. 48.

Εσεϑε ουν υμεις τελειοι, ωσπερ ο πατηρ υμων ο εν τοις ȣρανοις, τελειος εςι. **

Viden-

τας χειρας αυτȣ, και τας χειρας των υιων αυτȣ: ad quem locum notari meretur R. *Abendana* in spicilegio ad מכלל יופי expositio Ebrææ locutionis, הטעם שתשלים ידם ויכלתם לעבור עבודת ה׳: qui adeo Græcam locutionem native exprimit. ita Levit. VIII. 33. ימי מלאיכם vertuntur a Lxx. *ημεραι τελειωσεως* &c.

* In quam sententiam vid. quæ habet Cel. WOLFIUS (quantum in Orbe eruditorum Lumen!) in Curis Philol. & Crit. in Epist. ad Ebr. passim e. g. Cap. II. 11.

** Conf. Deut. XVIII. 13. תמים תהיה אם יהוה אלהיך ubi Lxx. *τελειος εση εναντιον κυριȣ τȣ Θεȣ σȣ*. atque Levit. XI. 44. Sancti estote, nam ego sanctus sum Deus vester.

Videntur excitasse hanc sanctissimi Salvatoris adhortationem, quæ v. 46. & 47. de τελωναις, seu portitoribus dixerat. Hi quidem a perfectione nomen sortiebantur, minime vere perfecti, sed fraudibus & dolo, quod exigerent ab hominibus portitoria omni æquitate majora, erant perversissimi. * Habebant quidem, quas enumerat Salvator perfectiones communes seu, quas supra diximus, secundarias, ut tanquam homines in societate cum aliis viventes erga amicos atque fautores non ingratos se exhiberent, ut etiam salutantibus se salutem redderent, sed erant hæ perfectiones tantum communes & officia facilia, quibus finem eum obtinebant, quem ut homines habebant propositum; verum ad omnem perfectionem officiaque non tantum communia atque facilia, sed & difficilia perfectisque propria exhortatur Christus suos auditores. Hi finem æternæ per Christum salutis sibi propositum habebant, adeoque tanquam participes divinæ in Novo Fœdere gratiæ hujus gratiæ scopum obtinere debebant. Proponit ergo Christus illis exemplo imitando summas summi Cælestis Patris perfectiones, eo ipso jubens, ut, quemadmodum ille non eos solum cumularet beneficiis, qui cultum verum illi exhiberent, sed ineffabilis etiam misericordiæ testimonia illis non denegaret, qui peccatis sanctam ejus Majestatem proscindere susciperent, ita quoque ipsi summas Summi Numinis imitati perfectiones & amicis & inimicis amicos se præberent, adeoque ad perfectionum primariarum fastigium omni nisu, omni labore adspirarent, ut vere τελειοι dici possent.

Matth. XIX. 21.

Εφη αυτω (τω νεανισκω) ο Ιησȣς. Ει θελεις τελειος ειναι, υπαγε, πωλησον σου τα υπαρχοντα, και δος πτωχοις, και εξεις θησαυρον εν ȣρανω, και δευρω, ακολȣθει μοι.

 Venit

* SVICER. Thes. Eccl. T. II. p. 1266.

Venit ad Salvatorem nostrum homo quidam juvenis, qui eum sibi finem dicebat propositum, ut εχη ζωην αιωνιον, v. 16. putabat autem, omnia se adhibuisse, quæ huic fini impetrando possent inservire; ideoque τελειον se non obscure hac interrogatione significabat v. 20. τι ετι υϛερω; Cui vero Christus ostendit, unum ex præcipuis ab ipso esse neglectum, abnegationem nimirum sui ipsius; ideoque fidele impertitur ipsi consilium, si velit τελειος esse, i. e. si nihil negligere velit, quod ab iis postulatur, qui ad consequendam tendunt vitam æternam, ut in abnegatione sui se exerceat, splendida bona pauperibus eroget, & sequatur servatorem.

Rom. XII. 2.

Αλλα (παρακαλω υμας) μεταμορφουσθαι τη ανακαινωσει τȣ νοος υμων, εις το δοκιμαζειν υμας, τι το θελημα τȣ Θεȣ το αγαθον, και ευαρεϛον, και τελειον.

Enumerat Apostolus in hoc capite Justificatorum officia, quæ erga Deum ipsis sint observanda: atque, uti v. 1. enumeravit, quænam officia cum respectu ad legem ceremonialem ab ipsis peragi debeant, jam commemorat, quæ cum respectu ad legem moralem exequi debeant tanquam justificati officia; nimirum ante omnia curæ ipsis, & cordi esse debere, ut seculi hujus * vanis mori-

* Erudita conjectura est Clar. SCHOETTGENII in *Horis Hebr. & Talm. ad b. l. p. m.* 559. quam cum LIGTHFOOTO eandem tuetur, quam pridem defendit etiam COCCEJUS, per voces αιωνος τȣτȣ uti alibi, ita hoc etiam loco notare Apostolum V T., ejusque oeconomiam; vocem δοκιμαζειν velle, ut utriusque oeconomiæ scripta bene conferrent, indeque elicerent, cultum Vet. Oeconomiæ desiisse, & novum requiri; voluntatem Dei dici αγαθην respectu volun-

moribus fierent, quam dissimiles, seu, ut quasi vestimentum vanitatum mundi exuerent *: deinde, ut per renovatam mentem aliam prorsus formam, quam qualis prisca irregenitorum fuerit, induerent, ut μορφωθη εν αυτοις Χριςος, uti alio loco idem exprimit Paulus **. Ita vero transformati, & prorsus mutati ut publice testatum darent, *** se exequi voluntatem divinam sanctificationis suæ ****. Cui quidem voluntati tria tribuit prædicata Gentium Doctor, quæ ipsi maxime conveniunt; Sive

tatis in V. T. cujus חקים erant לא טובים: ευαρεςον, quia cultus in N. T. per se placeat, externus in V. T. non sit sufficiens: τελειον, quia in V. T. omnia fuerint imperfecta. Unum vero, quod supponit, non probat Vir Eruditus, ab hac sententia nos avocat, quod speciatim ad Judæos Apostoli sermo dirigatur; fuerunt quidem inter eos, ad quos hæc epistola missa fuit, Judæi, uti videre est ex salutationibus Cap. XVI. sed maximam partem Gentiles spectabat Cap. I. 5. 6. 13. 14. XV. 16. 18. Act. XXVIII. 21. vel tribus igitur verbis Apostolus Judæorum diserte fecisset mentionem. Nec pugnat pro hac sententia, quod v. 1. respectus fiat ad oeconomiam & sacrificia Veteris T. nam ad Gentiles sæpius de istus rebus est sermo. Conf. Summe Reverend. WOLFIUS in Curis Philolog. & Criticis ad 1. Cor. II. 6. p. 325. qui ex eadem, qua nos, ratione in eo loco hanc conjecturam destruit.

* Hanc non pauci hujus vocis emphasin putant coll. Phil. II. 7. quæ phraseologiæ etiam Paulinæ maxime est congrua.

** Gal. IV. 19. conf. Eph. IV 24. Col. III. 10. 11. 12.

*** Hanc esse vocis δοκιμαζειν emphasin, Cap. XIV. 22. docet, nimirum, non solum ad lapidem lydium revocare & probare, sed demonstrare etiam & publice restari, quod aliquid probatum inventum sit. vid. Eph. V. 10.

**** 1. Thess. IV. 3.

autem ſpectaverit pro more ſuo, quo loqui videtur non-nunquam verbis Philoſophorum,* Stoicorum placita illis temporibus ſatis nota, quibus frequens erat diſſertatio de αγαθω, de ευαρεςω, de τελειω, & ad captum eruditorum inter Romanos ſe adcommodaverit, ſive minus, illam vocum harum emphaſin notamus, quod non in oppoſitione ad aliam Dei voluntatem damni, vel ſigni, quam, & quales venditant reformatæ eccleſiæ doctores, voluntati divinæ hæc addat prædicata; αγαθον vero eam dicat, quod verorum nos bonorum, veræque & æternæ felicitatis cupiat participes: Ευαρεςον, quod voluntatem hanc exequentes ita demum Deo placeant: τελειον vero, quod voluntas iſta fini ſalutis noſtræ ſanctiſſimo media ſaluberrima in Novo T. ſuppeditaverit, ideoque a nobis exigat, ut media iſta gratiæ quam ſtudioſe adhibeamus, nihilque, quod ad finem iſtum promovendum, ſive illud in vera in Chriſtum fide, ſive in conſtantia, ſive in pietate conſiſtat, conferre quicquam poſſit, negligamus.

1. Cor. II. 5. 6.

Σοφιαν δε λαλȣμεν εν τοις τελειοις.

Schismata atque diſſenſiones eccleſiæ Corinthiacæ capite antecedenti queſtus erat Apoſtolus, duplicemque eorum fontem, ac cauſam indicaverat; alteram, quod non diſtinguerent inter Chriſtum & Apoſtolos, ſeu, quod non intelligant, omnes Apoſtolos non niſi unum & unicum Chriſtum docere: alteram, quod tricis & inani ſapientia philoſophorum ethnicorum occæcati, & plane capti, falſa ſibi perſuaderent opinione, ſe prædicare Chriſtum, & de Chriſto evangelium tanquam novæ alicujus ſcientiæ, & ſyſtematis Philoſophici genus, quod ſpecioſa humanæ eloquentiæ ſerie, & tortis verborum in volucris poſſit, debe-

* Act. XVIII. 1. Cor. XV.

debeatque defendi, ac colorari. Longe vero alia, eaque simpliciora, & castiora de hoc evangelio Novi testamenti sentire jusserat Apostolus. Idem, quod ita auspicatus est, continuat Cap. II. studium avocandi a fastu Philosophorum sapientiæ, & adhortandi ad mentis submissionem, modestamque mysteriorum divinorum venerationem animos Corinthiorum, atque, postquam in primis huj. Cap. versibus suæ submissionis exemplum Corinthiis ad imitandum proposuerat, v. 5. & 6. inculcat magnum istum humanæ sapientiæ a mysteriis divinis dissensum. Dissensum istum exacte exprimit, cum evangelium esse dicit σοφιαν εν τελειοις, eo ipso indicans, humanam sapientiam in τελειοις non versari. Quis non videt, nihil aliud sibi velle Apostolum quam demonstratum dare, sapientiam Ethnicorum Philosophorum, eo quod fini æternæ salutis media subordinare apta, atque sufficientia non posset, multos habere defectus, nec ullo jure vere τελειαν dici posse: esse vero sapientiam divinam, seu evangelicam de Christo doctrinam ita comparatam, ut ad finem æternæ per Christum salutis obtinendum largiatur media saluberrima, summæ Dei misericordiæ luculenta testimonia.

1. Cor. XIII. 10.

Οταν δε ελθη το τελειον, τοτε το εκ μερες καταργηθησεται.

In responsione ad epistolam Corinthiorum de rebus adiaphoris & necessariis inter posteriora retulerat Apostolus Cap. XI. cætus spirituales. Cap. XII. dona spiritualia, ostendit jam Cap. XIII. usum donorum spiritualium præcipue esse in charitate constitutum: hujus charitatis necessitatem, effectum deinde, & denique præ reliquis omnibus utilitatem, quod nunquam deficiat, describit omnem scientiam hujus vitæ de rebus divinis imperfectam esse docet, seculi futuri

turi

turi perfectissimam cognitionem illi opponens; quam quidem cognitionem vocabulo τελεϰ designat, & hoc per oppositum τϰ εκ μερϰς optime exponit. In quo enim non omnia sed aliqua tantum, ad unum conspirant finem, illud tantum ex parte est perfectum & talis nostra in hac vita rerum divinarum est cognitio: Erit vero ea in futura vita, ut omnia & singula ad cognitionem Dei exacte sint datura consensum.

Eph. IV. 13.

Μεχρι καταντησωμεν οι παντες εις την ενοτητα της πιςεως και της επιγνωσεως τϰ υιοϰ τϰ Θεϰ, εις ανδρα τελειον, εις μετρον ηλικιας τϰ πληρωματος τϰ χριςϰ.

Omnis in eo est Apostolus, ut ad unitatem spiritus, & amicum consensum Corinthios exhortetur. Argumenta solida huic adhortationi Caput IVtum suppeditat. Alterum est: unum esse spiritum, spem, unam unumque dominum. Alterum: diversa dona dependere a voluntate donantis, nec dissidiarum esse legitimam causam. Hinc donantem Christum ita depingendum sumit, ut summum ejus arbitrium in dispensatione donorum pateat, summa vero cura de sanctis elucescat fidelibus, quæ ecclesiis doctores præfecerit, quorum munus esset, ut singula ecclesiæ membra instituerent, hac institutione alterum alteri jungerent, ut juncta συναρμονισμον & unam quandam structuram corporis Christi efficerent, viderenturque homo τελειος, adultæ ætatis, in quo ad corroboratam in Christum fidem singula consentirent, qui sanctificationis finem nactus esset, finique æternæ salutis media salutaria suppeditet, ita vero ætati salvatoris Christi, qui ad finem salutis nostræ media saluberrima fuerit nobis largitus, & omnia ad satisfactionem & salutis nostræ promotionem media ipse adhibuerit, similis sit.

Phil.

Phil. III. 15.

Ὅσοι ȣν τέλειοι, τȣτο φρονῶμεν.

Cum Cap. I. ad constantiam, & Cap. II. ad submissionem animi exhortatus esset Philippenses Apostolus, Cap. III. Christianæ vitæ regulas illis inculcat, quibus maxime congruum sit, ut vivam cognitionem Christi sibi acquirant, & propter eum unicum lucrandum in contentione omnia suscipiant mala, omnia spernant mundi bona, & voluptates: ita vero ad novam obedientiam, & indefessum cursum versus cælum omni studio incumbant, ut, quæ a tergo sint, negligant. Qui autem τέλειοι sint, id est, qui fini salutis omnia suppeditare media * etiam cum incommodis & miseriis connexa non dubitent, τȣτο, hoc ipsum, quod scilicet de cognitione Christi, de abnegatione illa omnium propter Christum, de studio &

D adspi-

* Medium in sano sensu hic, & quoties ea voce utor, accipi velim, eo nimirum, quo *omne id* involvit, *quod est propter finem*, quem etiam *Cel.* REVSCHIVS, Præceptor æternum Colendus ex B. Henrico Hœpfnero dexterrime illustrat *Met.* §. 271. & quem *Magnificus noster* LEHMANNVS Patronus ad cineres mihi devenerandus in præceptis *Philos. Mor. p.* 541. his verbis indicat: Wenn wir alle Mittel, welche uns die Philosophie an die Hand giebt, überhaupt betrachten, so werden wir erkennen, daß sich dieselben erstlich in media generalia, und spetialia eintheilen lassen. Die General-Mittel lassen sich zum andern wieder eintheilen a) in solche, welche zum Voraus gesetzet werden: ferner b) in solche, welche bey der Besserung selbst hauptsächlich zu brauchen. c) In diese, welche als subsidia hin und wieder so wol in der Besserung selbst, als auch in der confirmation eines tugendhafften Wandels gebraucht werden.

adſpiratione ad majorem, & ulteriorem perfectionem dixerat, ſentirent, hoc eſt, id ſibi peragendum eſſe, omnino exiſtimarent.

Col. I. 28.

Ον υμεις καταγγελλομεν - - ινα παραςησωμεν παντα ανθρωπον τελειον εν χριςω Ιησȣ.

Poſtquam pro recepta conſuetudine ſua gratiarum actiones Deo ſolverat Gentium Doctor propter converſionem Coloſſenſium, inſimul autem, ut in dies creſcerent, fuerat precatus, ad doctrinam de redemtione per Chriſtum θεανθρωπον facta inſtituit tranſitum, vivis Redemtorem coloribus depingens, a cujus deinceps dignitate muneris ſui Apoſtolici dignitatem atque præſtantiam deducit, qua in eo totus ſit, ut Chriſtum cum omnibus bonis ſpiritualibus annunciet hominibus, ita vero ſiſtat omnem hominem Chriſtianum τελειον, id eſt, ita aptum reddat ipſum, ut ad conſequendam ſalutem hæc gratiæ per Chriſtum merita poſſit adhibere.

IV. 12.

Inter ſalutationes a Sanctis Paulo demandatis nomine etiam Epaphræ Coloſſenſibus ſalutem dicit Apoſtolus, ejusque ardentiſſimas pro incremento eorum ſpirituali preces memorat, quarum ſumma hæc ſit, ut ſtent id eſt, immobiles & conſtanter ſint occupati in adplicatione mediorum ſalutis, omnes in id intendant nervos, ut voluntati, fini, & deſiderio Dei reſpondentes ſuam curent ſalutem.

Jac. I. 4.

Η δε υπομονη εργον τελειον εχετω, ινα ητε τελειοι, και ολοκληροι, εν μηδενι λειπομενοι.

Primum eſt, quod agit Jacobus, ut Ex Judæos ad conſtantiam & patientem adverſorum animum exhortetur.

tur. Ex natura fidei ipsorum promit argumentum. Fidem, dicit, veram consequi patientiam, seu patientiam esse consectarium fidei: hanc vero patientiam & omnium malorum propter Christum tolerationem habere debere εργον τελειον scilicet pro objecto. Nihil, ego quidem suspicor, per hoc εργον intendit Apostolus, quam quod a Paulo dicitur, εργον κυριϐ * seu omne pietatis studium. Est vero mens Apostoli: ita patientiæ Judæos operam dare debere, quemadmodum status suæ regenerationis, & cum Deo unionis id exigebat, ut, adeo cum vera fide veram patientiam (quæ omnium propter Christum abnegationem includit) conjungentes ita demum nihil negligant, quod ad finem salutis æternæ conferre quicquam possit.

Jac. III. 2.

Πολλα γαρ πταιομεν απαντες, ει τις εν λογω ϐ πταιει, ϐτος τελειος ανηρ, δυνατος, χαλιναγωγησαι και ολον το σωμα.

Docendi pruritus & loquacitatis vitium sub initio hujus capitis reprehenditur. Qui linguam coercere & digito compescere labellum possit, nominatur ανηρ τελειος, talis, inquam, qui non impingit, non excidit scopo. Dixerat ante Apostolus, in multis omnes labimur, non ita semper agimus, ut, quod quærimus, obtineamus, obtinet autem, quod quærit, & finem assequitur intentum, τελειος εϛιν ανηρ, qui coercet linguam, aptus, qui totum corpus tanquam freno moderetur, ita dirigat, ut fini intento nunquam excidat.

Jac. I. 17.

Πασα δοσις αγαθη, και παν δωρημα τελειον ανωθεν εϛι.

In eo jam est Jacobus, ut doceat, non proficisci a Deo tentationes ad malum: id demonstrat ex summa Dei boni-

D 2

* 1. Cor. XV. 58.

bonitate, quæ nihil cupere possit, quam nostram salutem. Demonstrat autem illud adductis verbis, omnem dicens donationem potius bonam *, omne donum τελειον id est, fini salutis omnium hominum subsidia suppeditans, proficisci a Patre luminum. Si igitur, ita argumentatur, omne, quod agit Deus, tendit ac concernit salutem humanam, non potest tentare eos ad malum.

Jac. I. 25.

O δε παρακυψας εις νομον τελειον τον της ελευθεριας κ. τ. λ.

Non esse legi morali hic locum, sed loqui Jacobum nostrum de doctrina evangelica de Christo, erudite observavit pridem summe Reverend. WOLFFIUS in *Curis Phil. & Crit. ad h. l.* Est vero hæc doctrina νομος τελειος, quia largitur nobis ad finem salutis gratiæ saluberrima subsidia.

1. Joh. IV. 18.

Φοβος ουκ εστιν εν τη αγαπη, αλλα τελεια αγαπη εξω βαλλει τον φοβον.

Dicitur, eo quod ejiciat, & longe arceat omnem timorem servilem, αγαπη τελεια: sive nostrum in Deum amorem sive nostram de Dei in nos amore convictionem hic intelligas, utraque ita est comparata, ut finem salutis nostræ per apta subsidia promoveat. Et ex hoc capite, ex quo cetera omnia, quæ adduximus, perfecta fuerunt, etiam iste amor *perfectus* dicitur.

Fuimus præter opinionem in recensione sacrorum pro nostra notione testimoniorum longiores; verum aliquem forsam sensum ex dictis sibi vindicarunt ea, qui a plurimis non fuit perspectus: jam scopo, quam fuimus, propius admoti omni data opera id agemus; ut manifestum fiat, Paulum in literis ad Hellenistas Judæos non vindi-

* Vid. quæ supra de θεληματι αγαθω diximus.

vindicasse sibi peculiarem harum vocum usum, nec etiam significatum quendam, quem & supra negavimus, liturgicum, a LXX. Interpretibus mutuum accepisse; eam vero vocis τελειος, consequenter derivatorum ejus notionem sibi servasse, quam apud ceteros actos a Spiritu S. viros receptam & usu habitam jam fuimus experti.

§. VI.

Primo autem quod vox τελειος eandem servet notionem, quæ tradita a nobis fuit, quod etiam reliqua vocabula, quæ voci τελειος originem debent, ab ea non deflectant, ex ipsorum inspectione locorum & nexu orationis. Paulinæ §. VII. examinando ibimus demonstratum. Τελειον diximus, & ex usu scriptorum θεοπνευςων probavimus, qui eo ordine & studio adhibet subsidia, & gratiæ, & pietatis atque constantiæ, ut finis intentus salutis exinde resultet, seu ut fini ultimo conveniant, eumque pariant (§. II.) τελειυς igitur Paulus τοις νηπιοις opponens, atque κατεχυσι γαλακτος, απειροις λογυ δικαιοσυνης.

Cap. V. 14.

Τελειων, in quit, ἡ ςερεα τροφη, των δια την εξιν τα αισθητηρια γεγυμνασμενα εχοντων προς διακρισιν καλυ και κακυ.

Optima provectiorum descriptio! ςερεαν τροφην dicit totum epistolæ ad Judæos argumentum, omnem ad constantiam adhortationem, omnem de Christo per afflictissimum statum sacerdotes, Prophetas & Reges exsuperante sermonem. Hæc illis nimis dura erant, qui omnia nondum adhibere poterant quæ ad veræ salutis finem erant necessaria, subsidia, qui fundatam in Christum passionibus perfectum fidem nondum erant assecuti, qui ideo non omnia habebant, quæ vera in Christum fides parit, puta cognitionem vivam speciatim mortis Christi, constantiam

in adversis, in pietate & patientia præsentem animum. Contra vero, qui ex viva in Christum fide perspicacius cognoscebant, quid sibi ad finem salutis factu opus sit, nec aliquid negligebant, quod ad hoc conferre quicquam poterat, τελειοι erant. Illis non solum non dura, verum & dulcissima erant, quæ de passione & morte Christi, de ejus imitatione aliisque virtutibus Christianis exercendis dicebantur.

Cum τελειος denotet eum, qui eo ordine & studio adhibet subsidia, ut finis ultimus inde resultet, vocem τελειοω significare diximus, *finem intentum acquiro* (§. II.) nec aliena est ab hac notione mens Paulina.

Cap. II. 10.

Επρεπε γαρ αυτω, δι ον τα παντα, και δι ȣ τα παντα πολλȣς υιȣς εις δοξαν αγαγοντα τον αρχηγον της σωτηριας αυτων δια παθηματων τελειωσαι.

Videtur primo intuitu hic versus contrarius esse notioni vocis τελειοω, eo quod plurimi, imo, quantum memini, omnes personam Patris hic inveniant, eique adscribant verba: επρεπε γαρ αυτω, vertantque cum Beza: *Decebat enim, ut ipse, propter quem, & per quem hæc omnia, ducem salutis eorum passionibus consummaret.* Sed ego tale quid hic non video.

Non quidem dixerim, αυτω positum pro αυτον, & vocem γαρ, & αυτον fuisse colo disjuncta; verum salva etiam lectione, quam hodie Codd. agnoscunt, ille mihi sensus exsurgere videtur, qui personam Patris neutiquam habet. Id facile videas, vocem δι ον, & δι ȣ referri ad præcedens αυτω; quis vero sit ille, δι ον και δι ȣ τα παντα docet Johannes Cap. I. 3. nemo alius, quam Christus: Hoc probe observato fluit sensus: Decebat enim ipsi, per

quem

quem & propter quem omnia sunt, multos filios ad gloriam ducentem, ducem salutis eorum per passiones finem intentum sc. satisfactionis acquirere, Ita Graece: Latine infinitivo in tempus finitum resoluto. Dicens erat, ut ipse, per quem & propter quem omnia sunt, multos filios ad gloriam ducens, dux salutis nostræ per passionem obtineat finem intentum reconciliandi generis humani cum Patre cœlesti.

Cap. X 14.

Μιαι γαρ προσφοραι τετελειωκεν εις το διηνεκες τες αγιαζομενες. Sensus est: Una oblatione acquisivit finem intentum satisfactionis in perpetuum sanctificatis.

Quod itaque Christus re vera præstitit, id de lege negatur.

Cap. VII. 19.

Ουδεν ετελειωσεν ο νομος.

Lex nulli rei finem salutis acquirit.

Cap. X. 1.

Ο νομος εδεποτε δυναται τες προσερχομενες τελειωσαι.

Lex minime potest ingredientibus in tabernaculum fœderis finem æternæ salutis acquirere.

Cap. IX 9.

Θυσιαι - μη δυναμεναι κατα συνειδησιν τελειωσαι τον λατρευοντα

Sacrificia, quæ non poterant secundum conscientiam acquirere sacrificanti finem satisfactionis Christi atque salutis i. e. ita acquirere, ut de acquisita salute fuerit in mente convictus

Si *τελειοω* denotat, finem intentum acquiro (vel mihi, vel aliis) quid significet *τελειεμαι* in passivo, exinde patet: nimirum, *ad finem intentum perducor.*

Ebr.

Ebr. V. 9.

Καὶ τελειωθεὶς, ἐγένετο τοῖς ὑπακούουσιν αὐτῷ πᾶσιν αἴτιος σωτηρίας αἰωνίου.

Postquam autem Christus ad finem intentum satisfactionis adductus est, & ad eum pervenit, factus est autor & causa obedientibus seu credentibus salutis æternæ, id est, credentes per eum, qui ad finem intentum satisfactionis est perductus, ad nostrum salutis æternæ finem perducimur.

VII. 28.

Ο λόγος δὲ ὁρκωμοσίας τῆς μετὰ τὸν νόμον υἱὸν εἰς τὸν αἰῶνα τετελειωμένον (καθίστησι).

Vox Dei juramento confirmata, & post legales constitutiones (scilicet per Davidem Ps. CX. 4 prolata) stitit nobis Pontificem in æternum ad finem suum adductum, adductum inquam ad finem æternum, æternum habentem valorem.

Dicit itaque Christus Luc. XIII. 32. τῇ τρίτῃ τελειοῦμαι se tertio die resurrectionis ad finem sc. gloriosæ exaltationis adductum iri, imo & ante exspirationem in cruce clamabat τετέλεσται Joh. XIX. 30. *Jam demum ad finem satisfactionis perventum est.*

Cum itaque Christus finem satisfactionis in gratiam fidelium fuerit assecutus ad eum passionibus suis & morte sit perductus, fideles per hanc satisfactionem ad reconciliationem cum Deo ad fruitionem omnium per Christum bonorum, denique ad salutis finem, usumque omnium subsidiorum, quæ hunc finem promovent, dicuntur perducti.

Primo de fidelibus V. T. tale quid occurrit.

Cap. XI 40.

Ἵνα μὴ χωρὶς ἡμῶν τελειωθῶσι.

Loquitur, uti monui, de fidelibus Veteris Oeconomiæ speciatim istis, qui multis fuerint mersi miseriis. Hos fideli-

fidelibus Ebræis exemplo proponit imitando, ut spe meliorum bonorum erigantur. Illos nimirum, quamvis felicitatem præsentis vitæ non obtinuerint, spe tamen futuræ longe præstantioris felicitatis ait confirmatos; (Nihil vero aliud per επαγγελιαν intelligere potest, quam terrenam felicitatem, nam per fidem in Messiam beati jam erant.) denique non sine nobis, sed una nobiscum ad beatitudinis & æternæ felicitatis fruitionem perducendos esse.

Cap. XII. 23.

Πνευματα δικαιων τετελειωμενων, animæ justorum, qui ad finem salutis & æternæ beatudinis per fidem in Christum jam pervenerunt.

Τελειωτην diximus, *qui finem rei imponit* (§. II.) Talis dicitur Christus.

Cap. XII. 2.

Αφορωντες εις τον της πιστεως αρχηγον και τελειωτην Ιησουν.

Jubentur hic Ebræi fortibus oculis intueri Christum, qui fidei illorum dux sit, eique finem æternæ salutis fuerit largitus & imposuerit, primo, dum implevit fidei nostræ objectum, ea, inquam, omnia, quæ credimus fide, & apprehendimus: deinde vero, dum ipsam fidem, qua illa bona apprehendimus, nobis largitur.

Τελειωσιν & τελειοτητα diximus *finis intenti impetrationem* (§ II.) Negatur prior vox de lege.

Cap. VII. 12.

Ει μεν ουν τελειωσις δια της Λευιτικης ιερωσυνης ην, τις ετι χρεια.

Ostendit Apostolus, non opus fuisse satisfactione

 Chri-

Christi, si impetratio finis salutis per legem fieri potuisset.

Adhortatur vero Ebræos.

Cap. VI. 1.

Ut αφεντες τον της αρχης τε χρις8 λογον επι την τελειοτητα φερωνται: non semper inhæreant primis doctrinæ Christianæ rudimentis, verum ad ea adspirent, quæ finem salutis suæ per cognitionem crucis & mortis Christi, per vivam fidem, & in pietate constantiam possint promovere.

Ita recensitis, quæ in Epistola ad Ebræos vocibus nostris exprimuntur, jam suis describamus quasi terminis usum Apostolicum & definiamus.

§. VII.

Tria fuerunt subjecta, de quibus & affirmavit & negavit vocabulorum nostrorum significatum Gentium Doctor: *Primum* fuit Lex, de qua emphasin harum vocum negavit; non judicabimus de mente Apostoli, antequam cognitum habeamus, qualem indigitet legem, quæ finem salutis largiri hominibus nequeat: examines vero textum, & videbis, nullam aliam ab eo intelligi, quam ceremonialem & cultum Leviticum universum, quatenus externis absolvebatur actibus. Tantum vero abest, ut a lege morali essentialem, quam dicunt Theologi, perfectionem removeat, ut potius in ceteris epistolis suis hanc multifariam stabiliat. Cap. IX. diserte, quod Cap. VII. 19. de lege dixerat, de sacrificiis affirmat, quod nimirum sacrificia nuda non potuerint offerentibus salutem & reconciliationem cum Deo largiri. Sana profecto & orthodoxa. Si enim de meris ceremoniis id negat Apostolus, quod satisfactioni Christi & fidei in eum competit, quis non videt,

videt, illud ex ejus verbis deduci, *sacrificia nuda, & ritus reliquos sine fide in futurum Messiam haud quaquam salutaria fuisse offerentibus, & observantibus;* non autem illud: *sacrificia nulla absolute expiasse peccata, ita ut populus manserit semper sub reatu.*

Alterum subjectum, cui vocum nostrarum prædicata addit Apostolus, est sanctissimus Salvator: hunc τελειȣμενον, τετελειωμενον atque τελειωτην nuncupat; Vbique illud dicit: solum Salvatorem finem nobis æternæ salutis largiri, per eum Veteris Testamenti fideles salutem esse assequutos, per eum in Nova Oeconomia fideles solum & unicum salvandos esse.

Ultimnm subjectum, cui vocabula nostra tribuuntur, comprehendit fideles omnes: Duplex hoc subjectum jam paucis considerabimus; de lege postmodum, quatenus ex vocabuli nostri notione afferri poterit, ne in Theologorum Reverend. excurramus campum, aliqua moni- turi.

§. VIII.

Primo Christum duplici respectu voces nostræ efferunt: altero habito ad exinanitionem ejus, ad passionem & meritum pro omnibus præstandum hominibus: ad exaltationem & gloriæ statum altero.

Quod ad primum attinet, eo referuntur loca

II. 10. X. 14. VII. 28. XII. 2.

In priori loco affirmatur necessitas passionis & mortis Christi, ut occurreretur vulgari Judæorum opinioni, atque persuasioni de Messia terrenis felicitatibus, & seculari potentia eximio. Contrarium plane, ejusque necessitas adstruitur, necessitas inquam ad obtinendum finem satisfactionis, filiationis atque sanctificationis, cum non alia

via salutis æternæ compotes fieri mortales possent, quam per mortem θεανθρώπε.

In altero loco demonstratur præstantia sacrificii atque oblationis Christi præ omnibus veteris Testamenti sacrificiis, cum unica tantum oblatione id egerit Salvator, quod agere non poterant omnia sacrificia pecudum infinitam nimirum peccatorum totius hominum generis expiationem.

Tertio loco demonstratur, meritum Christi esse infiniti valoris.

Quarto denique probatur, solum Christum esse salutis nostræ fundamentum.

Habito respectu ad statum exaltationis Christus Cap. V. 9. Τελειωθεὶς dicitur, & salutis fidelium causa.

§ IX.

Si alterum subjectum nimirum fideles meditanti subjicimus animo, duplici itidem respectu nostris vocibus insignitos videmus: altero habito ad justificationis in hac vita statum: habito altero ad plenam beatitudinis æternæ fruitionem. Ad primum loca spectant

V. 14. IX. 9. X. 14.

In primo loco speciatim sermo fit de fidelibus in Novo Foedere, qui & finem salutis habent propositum, & media gratiæ ad eum obtinendum adhibere queunt, & re vera adhibent, finique media ultimo, aut fines intermedios subordinant. Hi igitur cum subordinant, & quatenus subordinant, dicuntur perfecti. Quam quidem de perfectione fidelium morali doctrinam quoniam in Philosophorum cathedra proponere fas haut erit, Theologis eam

eam linquere debemus * illud tantum afferentes, quod ex notione noſtri vocabuli ſupra deduximus, nimirum *quod ſalva omni perfectione morali poſſit alter præ altero majores habere perfectiones, utrumque tamen eſſe τέλειον, utrumque enim fini ſalutis media ſobordinare* (vid. §. II.) In altero loco dicitur, homines veteris Teſtamenti per ſacrificia finem juſtificationis intermedium ultimumque ſalutis aſſequutos haut eſſe; ex quo quidem fluit, per aliud medium hunc finem eos obtiuniſſe, nam juſtificatos eſſe fideles vet. Teſtam. clara ſcripturæ teſtimonia loquuntur: Act. X. 43. XV. 11. III. 20. 24. &c. per aliud igitur medium juſtificati fuerunt & ſalvati nimirum per fidem in Meſſiam.

In tertio loco juſtificatio fidelium propter λυτρὸν Chriſti jam ſolutum demonſtratur.

Quod ad ſecundum attinet, ubi habito ad vitam æternam reſpectu voces noſtræ de fidelibus enunciantur, in cenſum veniunt loca.

XII. 20. XI. 40.

In priori loco idem cum Salvatore nomen ſortiuntur beati fideles, quod τετελειωμενοι dicantur, id eſt, qui ad finem ſalutis æternæ jam ſunt perducti, quale quidem nomen fidelibus viatoribus non tribuitur, nec tribui poteſt. Ideoque.

Poſteriori etiam loco jubet nexus ſermonis Paulini, ut credamus, æternam beaditudinem ipſum indigitare, quando fideles veteris T. non ſine nobis, ſed una nobiscum ad æternæ vitæ finem perducendos affirmat.

* vid. B. Buddei Theol. Mor. P. I. Cap. III. §. VII. p. 286. Vitring. in Obſ. S. L. U. C. XVIII. cujus aſſerta cum grano ſalis perlegaſ.

§. X.

Jam ordine ferimur ad tertium subjectum, quod voces nostras recipit, ad legem, seu leviticum & sacerdotalem cultum; Huc spectant loca.

VII. 11. 19. IX. 9.

Omnia uno ore loquuntur, legi & cultui Levitico non convenire vocum nostrarum emphasin, & quis hoc vocaret in dubium? Legem namque solam ceremonialem indigitat Apostolus, quod uno loco per νομος exprimit, alio per λευιτικην ιερωσυνην, per δωρα και θυσιας exponens: nec aliam hic legem videbit, nisi qui ex Coccejanorum Canone Hermen. sibi persuadet, vocem in Scripturis aliquo obviam loco omnes uno isto loco suscipere significatus, quos suscipere possit. Eruditissimus COCCEJUS, uti alias, ita in nostris etiam locis hunc suum Canonem adplicat, quod ipsum nos omni jure notamus fontem ejus expositionis, quam erroris merito suo Theologi orthodoxi postulant. Intelligit Vir Erud. per νομον, quicquid legis nomine venire unquam potest. Audiamus eum ad Cap. VII. 19. Comment. in Epist. ad Ebr. Tom. V. Opp. p. 530. §. 25. *In pericopa nostra (a v. 11. ad v. 23.) hoc notamus: Lex, de qua dicitur, quod non consummaverit accedentes ad Deum est tota lex, sive omne verbum, quod ante Christum auditum fuit. Quippe cum in eo non contineatur verbum dans fiduciam ad Deum (v. 19.) ut ex titulo condonati penitus peccati conf. Cap. X. 22. 23. Est autem ea Lex non unius generis. Primo ea, quæ continet præcepta, quæ, qui facit, vivet in eis. Ezech. XX. 11. Secundo verbum: quo Deus testatus est, se sanctificare semen aliquod, & imprimis semen Abrahami & Israelis v. 12. Id verbum primitus in Paradiso auditum fuit. Gen. III. 15. Nam quo verbo judicatur Satanas, eique denunciatur Deum positurum odium inter eum ac mulierem, & semen utriusque; item-*

que semen aliquod mulieris ei contriturum caput, eo verbo promittitur abolitio Diaboli, ut mortis imperium habentis, & legis peccati, & sanctificatio alicujus seminis captivi Satanæ ad diligendum Deum, ut justitiam & sanctificationem & ad odio habendum opera diaboli.

Tertio præceptum illud, quo Deus declaravit Israelitas impuris cum oblationibus suis, dum sibi transire fecit omne primogenitum Exod. XIII. 12. cujus loco accepit tribum Levi & familiam Aharonis in ministerium tabernaculi & altaris: deque aliis omnibus si accederent, dixit, vita luituros. De quo genere præceptorum loquitur eodem Capite v. 25. 26. Ea sunt legis ceremonialis. Ita differit COCCEJVS sibi simillimus. Per primum legis, quod dicit, genus intelligit legem moralem, quæ quamvis habebat perfectionem essentialem, utique tamen non largiebatur finem salutis & justificabat homines, eo quod nemo hanc legem, poterat exacte servare: de hac lege Paulus haud quaquam verba nectit; Loquitur vero de tertio genere legis, quod recenset COCCEJVS, seu ceremoniali. Secundum vero legis genus, quod movet, complectitur evangelium V.T. de Messia, credentibus utique finem salutis largiens, quod vero negat & pernegare debet COCCEJVS suæ favens hypothesi *de discrimine inter justificationem V. & N. T.* inter eum quondam ac Voetium controversæ & *in Animadversionibus ad LXXXIII. quæstiones de V. T. & Lege Mosis ad Maresium*, itemque *in utilitate distinctionis duorum vocabulorum scripturas* πάρεσεως *&* ἀφέσεως Tom. VII. Opp. & alibi propositæ. Hanc controversiam nec possumus, nec debemus ita agitare, ut nostram de ea feramus sententiam. Non possumus, namque excrevit citra opinionem nostra exercitatio, limitesque adeo Academici schediasmatis ad disputandum propositi prohibent; neque debemus, quoniam summe Reverendus Theologorum nostrorum ordo a nostra cathedra hæc dogmata altio-

ris indaginis jure suo arcet. Quod autem jam præstare non possumus, peculiaris non solum, si vires vitamque largietur Deus; labor expediet, verum etiam, quando Numine isto clementer opitulante *Parentis τȣ εν αγιοις Historiam Divinorum cum Homine fœderum, eorumque Oeconomiam* nostris instructam animadversionibus sistere eruditis suscipiemus, dabimus. Nunc, quod vocum nostrarum notio suadet, vel tribus verbis attingimus.

In primo loco Cap. VII. 11. ostendit Apostolus, sacerdotium Leviticum non habuisse τελειωσιν, puta, finem æternæ salutis ultimum non suppeditasse. Itaque nihil agit COCCEJUS, quando ex hoc ceterisque locis hypothesin suam adstruere suscipit, loquitur Paulus voce τελειωσεως non proxime de justificatione fine quodam intermedio, verum de ultimo salutis æternæ fidelibus omnibus INTENTO. Atque uti nemo negabit, sacrificia, si habuerunt junctam in Messiam fiduciam, justificasse offerentem, non tamen asseret, finem Salutis æternæ ea dedisse, quod meritum Christi per fidem applicatum præstat.

Secundi, tertiique loci idem est argumentum, uterque evincit, per observationem ceremoniarum neminem æternum salvatum esse.

§. XI.

Si jam tanquam in transenna perlustres, Candide L., quæ succincte de perfectione ex mente Paulina edisseruimus, arridebit omnino Tibi tanquam certissimum Patrum antiquæ Ecclesiæ effatum: *illam demum esse veram perfectionem, suas nosse imperfectiones.* Est Pharisaica perfectio, quæ ab omni imperfectione se clamitat immunem: ita vero perfecti esse studeamus, ut probe cognitis infirmitatibus nostris non impediamur in adhibendis ad finem salutis nostræ mediis, omnes ad hunc finem

nes cogitationes, omnes meditationes, omnes conspirent, collineentque actiones, sic in dies incrementa capientes vere erimus τελειοι.

§. XII.

OBS. I.

Cap. I. 2. Non negaverim, Apostolum in hoc commate ad Gnosticorum hæresin mentem appulisse, qui inter alia ψευδοδογματα illud defendere suscipiebant, quod Christo inter æones, quos venditabant, locus sit adscribendus. Hoc itaque nefandum assertum destructurus Paulus luculenter significat, Christum non posse referri in numerum angelorum, cum angelos ipse creaverit: adeoque voce αιωνες, non ut alias עלמים secula, atque mundum; sed spiritus seu angelos notat.

Κληρονομον autem παντων secundum humanam naturam Christum dici jam ad ejus incunabula Luc. II. 11. angeli cælitus indicabant Οτι ετεχθη υμιν σημερον ο σωτηρ, ος εςι Χριςος ΚΥΡΙΟΣ. Ab ipso igitur incarnationis momento DOMINUS dictus est, plenaria vero illius hæreditatis & dominii collati χρησις cum statu exaltationis atque gloriæ incepit.

OBS. II.

Cap II. 1. Optime mihi quidem videtur hic locus explicari ex 2. Cor. IV. 7. ubi dicimur servare θησαυρον της γνωσεως της δοξης τε Θεε εν οςρακινοις σκευεσιν: jubet igitur Apostolus, ut ne tanquam vasa rimarum plena conceptum thesaurum diffluere sinamus, fidemque amittamus.

v. 2. Non facile loquitur Apostolus de mandatis divinis, quæ Deus hominibus per angelos nunciari jussit, uti videtur Eruditiss. Schœtrgenio ad h. l. nam, quod hic

λογος, Gal. III 19. & Act. VII. 53. *νομος* dicitur. Sine dubio igitur sermo est de lata lege: ast quid obstat, quo minus *δια* vertatur per *inter*, quod *inter* angelos, caterva צבאות stipatus Deus, præsentibus & ministrantibus sibi legislatori angelis promulgaverit Legem. Omnino *δια* vertendum est per *inter* 2. Tim. II. 2. *

OBS. IV.

v. 5. Cum Cap. XIII. 10. *πολις μελλουσα* citra controversiam designet futurum ævum, & Christus Cap. IX. dicatur *αρχιερευς των μελλοντων αγαθων*, adeoque Paulo in more positum sit, quando de eo, quod consummationem hujus universi insequetur, seculo verba facit, vocem *μελλων* in subsidium vocare ** utique maximi ponderis argumenta esse debent, quæ ab hoc usu, & omnium antiquiorum explicatione, quæ *οικουμενην μελλουσαν* per futurum ævum exponit, nos avocant. Recentiores fere omnes huic expositioni inhærere video, ut Ecclesiam N. T. designatam autumentur: *Cel. Witsius* in *Miscellaneis* peculiarem tractationem huic interpretationi dicavit, quod idem suscepisse *Olearium in diss. de analysi logica hujus epistolæ* animadverto. Non possumus argumenta eorum sub examen jam revocare. Duo videntur in verbis textus latere, quæ pro eorum sententia militent, lectorique primo intuitu obviam se tradunt. Unum est, quod addat Apostolus ad voces *οικουμενην μελλουσαν* hæc verba, *περι ης λαλουμεν*; Loquitur autem, inquiunt, in antecedentibus de ecclesia Novi Testamenti: hoc non negamus, prius non concedimus; ego putaverim, non sine causa Paulum usurpare pluralitatis numerum in voce *λαλουμεν* citra morem suum, qui is est,

* vid. STOCK. Int. Gr. N. T. §. 205. p. 216.

** 1. Tim. IV. 8. dicit *ζωην μελλουσαν*. Rom. VIII. 18. *δοξαν μελλουσαν*.

est, ut de se in unitatis maxime numero loquatur; Inclusos autem hac phrasi cum Ebræos habet, id omnino significatum voluisse certe puto, se jam de eo seculo verba facere, de quo continui misceantur fidelium sermones, quod desiderent, quod appetant, ad quod omnia, quæ suscipiant, tanquam ad metam contendant. Alterum argumentum quod defendere possit adversantis sententiæ asseclas, suppeditare videtur vocabulum υπεταξε, tanquam verbum perfecti temporis, cum tamen, si seculum futurum intendat Apostolus, nondum subjectum sit; Duplex etiam ad hoc præsto est responsio: primo perfectum pro futuro in divinis oraculis omni pagina occurrens quis ignoret? Deinde habet, quod etiam receptum est Hagiographis, verbum υπεταξε qualitatem adjunctam, puta destinationem, consiliumque Dei: *non destinavit Deus, futurum esse, ut subjiciatur seculum futurum angelis.* Jam quæso attendas ad ea quæ in OBS. I. attulimus, quod Apostolus respiciat sæpius in hoc scripto Gnosticorum hæresin, idem, quod Cap I. 2. contra eos stabilit, in hoc commate defendit, tantum abesse, ut Christus inter æones & angelos referatur, ut Deus non subjiciendam iis decreverit futurum beatorum cælitum seculum; Christo vero illud, & omnia alia subjecta esse significavit 1. Cor. XV. 17 18. In quod comma lectu est dignissima *Erici Melandri Theol. D. & P. in acad. Upsaliensi Diss. de Filio Dei Patri subjiciendo.*

OBS. V.

II, 13. Depingit Apostolus Judæis summam fidelium felicitatem, qua cum Christo arcte jungantur, & uniantur; Eam contra dubitantes duplici argumento stabiliendam sumit: alterum suppeditat consueta scripturæ appellatio, v. 11. quæ fideles *fratres* Salvatoris enunciat: alterum Veteris Fœderis oracula Judæis satis familiaria

addunt: primo Psalmus XXII. 13. qui hanc Fratrum appellationem continet: deinde Ps. XVIII. 3. Messias hoc Psalmo dicit: *Confido in eo* scilicet *in Patre caelesti*; Indicat his verbis suum exinanitionis statum, in quo ab omnibus desertus hominibus confidit in solo Deo: ita vero hac etiam in re fratribus factus est quam simillimus, quorum est, in miseriis & contentione cum Christo exclamare: אחוה בו, & in sola Dei ope omnem collocare fiduciam: quomodo vero elegantius exprimi potuisset, & probari fidelium cum Christo unio? quis illos non unitos diceret, & arctissime junctos, qui in miseriis eandem invocant opem, in eodem confidunt Deo.

OBS. VI.

Cap. IV. Non prosequimur, quæ de requie ex hoc Capite afferri possent, & B. Sandhagenius in pecul. scripto nitide tradidit, in eo tantum occupati, ut nexum probandi, qui multis non satis reperitur, paucis prodamus. Requies in V. T. erat imago felicitatis Judæorum, & typus prærogativarum Ecclesiæ N. T. Illud probat hoc capite Gentium Doctor. Adhortatur sub initio huj. Cap. I. uti scopus ejus in tota epistola, quem in Proemio indicavimus, est mere paracleticus, ut hanc requiem, seu felicitatem Novi Fœderis ne negligant v. 1. Argumentum hanc adhortationem comitatur v. 2. namque promissa fuit hæc felicitas fidelibus in N. ut & in U. T. majoribus. Ostendit a) quomodo hanc prærogativa usi fuerint majoris sc. pessimum in modum; b.) quomodo ipsi ea uti possint, ad quos scribebat v. 3. Pergit commonstrare, quod re vera adsit felicitas, qua uti possint, probatque a.) typo requiei Dei post confectum creationis opus, ubi 1.) hæc requies ex Gen. II, 2. adducitur v. 4. 2.) monstratur, eam ipsam requiem esse, cujus fit mentio Ps. XCV.

b.) ex

b.) ex typo requiei Israelitarum post subactas Palæstinæ regiones, ibi iterum a.) stabilitur, re vera adesse, qua frui possint fideles N. T., requiem & felicitatem, quia scilicet ea neglecta sit a fidelibus V. T. v. 6. b.) tempus hujus requiei a Davide definitum affertur 3.) ostenditur, requiem in Canaane jam nullam esse superstitem v. 8. 4) consequenter aliam, eamque spiritualem superstitem esse debere in N. T., ut promissis Dei & typis fiat satis; quæ itaque requies non esset more majorum ab ipsis negligenda: Iteratur dein adhortatio, ut usu caperent Ebræi hanc requiem 1) cum impedimenta monstrantur, quæ in applicanda ea remoram injiciunt v. 11. 2) Cum media suppeditantur ad eam acquirendam: primum est verbum Dei efficax v. 12. secundum est applicatio satisfactionis Christi summi nostri Pontificis, ut Dei, ut etiam hominis. Ita ordine aptissimo procedit demonstratio Paulina earum prærogativarum, quæ nos sub Novo Fœdere felices reddunt.

OBS. VII.

V. 7. Frustra hic objicitur, ea esse Christi prædicata, ut inter eum & V. T. Pontificem non sit discrimen: nam Pontifex V. T. obtulit preces & placamenta pro populi *& suis* delictis expiandis; Christus vero intercessit, non pro suis, sed pro nostris peccatis, pro sui vero liberatione ex passione instanti. Verum quod nos hac observatione intendimus, est vera notio vocis ευλαβειας, cui aliquando singularem operam tribuemus. Illa utique timorem involvit, eum vero, quem religiosus cultus excitat, seu potius reverentiam. Profanis ευλαβεια sæpissime ponitur pro δειλεια & Act. XXIII. 10. Ευλαβηθεις idem est, quod φοβηθεις timendus: quin & in

in eadem significatione Patribus in usu fuit, NAZIANZENVS inter afflictiones Christi nominat το ευλαβες, quod metuit; & *Syrus* denique paraphrastes comma nostrum reddit: *ex timore & passionibus.* Indigitatur itaque, quod aliquando fusius deducemus, timor quidam, speciatim ex cultu promanans, sensumque adeo hujus vocabuli exacte, ut alia multa, exprimit B. noster LVTHERVS, darum daß er GOtt in Ehren hielt.

OBS. VIII.

V. 4. 5. 6. Versu quarto indicatur vocatio Christi divina ad officium sacerdotale: probatur istud v. 5. dicto Dei: *Tu es filius meus, hodie genui te.* Sine causa de hac probatione dubitatur: nam officium sacerdotale & æterna Christi generatio arctissimo nexu uniuntur; non sufficiens fuisset hoc officium, ni Christus Deus, & ab æterno ad hoc officium fuisset destinatus. Porro, quod v. 6. dicatur κατα ταξιν idem, quod Cap. VII. 15. nuncupatur κατα ομοιοτητα nemini remoram injiciet, namque utrumque per Ebræum על דברתי Psalm. CX. 4. indicatur.

OBS. IX.

VIII. 9. Difficultatem hic tolli posse, puto, si Ebræa per interrogationem negantem exponas: *Ego illis conjunctus uti Dominus & maritus manerem?* absolutum adeoque sensum servat Paulus: Utique non manebo, sed ημελησα, neglexi.

OBS. X.

VIII. 2. Conf. IX. 11. In utroque loco per σκηνην αληθινην intelligitur humana Christi natura, seu ipsum Christi corpus; nam

1) Apo-

1) Apostolis usitatum est, corpus vocare tabernaculum 2. Cor. V. 4. I. 13. 14.

2) Ipsum Christi corpus tabernaculo & templo sæpius comparatur Joh. II. 19. Col. II. 9.

3) Comparatio hæc admodum concinna est: In V. T. tabernaculo in S. S. Deus singulariter se præsentem ostendebat: In corpore Christi σωματικως habitat.

OBS. XI.

IX. 3. Εναντιωφανες aufertur, si sub aureo thuribulo intelligas θυσιαςηριον θυμιαματος altare suffitus, quod omnino *habuit* Sanctum S. non quidem intra se, sed extra velum e regione τȣ Ιλαςηριȣ collocatum, ita ut fumus in ipsum SS. delatus fuerit.

4. Quod hic observaturus eram, jam notasse video Celeb. SCHOETTGENIVM, nullam nimirum difficultatem superesse, si constet, Paulum dicere, de eo, quod temporibus Mosis in arca fuerit, loca vero 1. Reg. VIII. 9. & 2. Chron. V. 10. loqui de temporibus Salomonis.

OBS. XII.

IX. 6. Πρωτη σκηνη dicitur sanctum, media pars tabernaculi, & atrium, ut distinguatur ab illis Sanctum Sanctorum; utique enim non in Sancto sed in atrio offerebantur victimæ.

OBS. XIII.

IX. 14. Per *spiritum æternum* indigitatur virtus divina Spiritus S. quæ & in utero materno formavit corpus Christi sanctissimum & per quam postea in morte, & passione humana Christi natura fuit sustentata Conf. Rom. I. 4. 1. Tim. III. 16. 1. Pet. III. 13.

OBS. IX.

OBS. XIV.

X. 5. Illud extra omnem dubitationis aleam positum est; Paulum non verba, sed sensum textus Ebraei repetere: nec id negari potest, Christum loqui de se *exinanito*, & indicare obedientiam suam in opere redemtionis. Id igitur restat, num Paulus suis verbis hoc satis prodat? Id quod omnis tuto asseret, qui noverit, Graecos vocabulum σωμα servis applicuisse; Cujus rei testimonia & hunc etiam locum discussum erudite vide in *Johannis Vriemoetii* Observatt. in Matthaei Capita V. priora ad Matth. IV. 10. p. 66. 67. seqq.

§. XIII.

Jam tempus erit, ut vela contrahamus; judiciumque de eo, quod in hoc schediasmate praestitimus, linquamus Lectori: Quisquis autem es, modeste de nobis sentias, lapsis veniam ne deneges, laudandis vero laudem ne praeripias: verum si quae aptiora & elegantiora habes, sincere moneas. Ita si de nobis aeque feras judicium, plura erunt, quae a nobis hisce in rebus poteris exspectare.

F I N I S.

Menda exstantiora sic corrigantur.

In conspectu diss. §. V. pro voces nostras *lege* vocem nostram. p. 11. l. 4. pro exanimandis *lege* examinandis. p. 14. l. 5. pro indentum *lege* intentum. lin. 8. pro siti *lege* sit. p. 21. l. 13. pro τελειον lege τελειαν. p. 26. l. 18. pro merita *lege* media. p. 39. l. 7. pro impuris *lege* impuros. lin. 26. pro scripturas *lege* scripturae. p. 10. pro itaquae *lege* itaque.

COROLLARIA RESPONDENTIS

I. Non eſt præ ceteris Dei oraculis Paulinarum epiſtolarum difficultas.

II. Lingua Arabica eſt Theologo perquam utilis.

III. Qui philoſophicis non ſatis tinctus principiis, neque linguarum, quas originales vocant, ſubſidiis inſtructus eſt, ad ſacram explicandam paginam non ſatis tuto accedit.

IV. Hebræa lingua omnes reliquas antiquitate ſuperat.

V. Bibliorum verſionibus non ea habenda eſt fides, quæ ipſi textui originali tribui debet.

VI. Chriſtus in orationibus ſuis ad ſententias Judæorum maxime attendit.

VII. Datur Apodixis ſcripturæ.

VIII. Ita proximi inſerviendum eſt commodis, ne nos ipſi inde detrimentum capiamus.

VIIII. Optimum eſt in interpretatione N. Fœderis ſcriptorum ſubſidium, ſi probe obſervetur, Chriſtum, Deum omniſcium, ad cogitationes et mentales objectiones diſcipulorum & auditorum ſæpius reſpondere.

X. Cauſa errorum in interpretatione eſt ſubjectum Interpretis, reſpectu intellectus, voluntatis, & mediorum.

XI. Levia ſunt admodum Judæorum in doctrinam de accentibus merita.

XII. Joſephus fuit inſignis typus Chriſti.

XIII. Qui omnia linguarum principia demonſtratione, quod ajunt, probare conatur, actum aget.

)(NO-

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
M. OTTONI LVD. KOENIGSMANNO
S. P. D.
IO. GEORGIVS WALCHIVS.

Quum iterum præclari ingenii tui ſpecimen edis atque egregiam tuam cognitionem earum rerum, quæ ad interpretationem atque intelligentiam diuinorum oraculorum ſpectant, nouo commendas documento, omnino tibi de hoc felici litterarum tuarum progreſſu gratulor. Cognoui, quo nites, ingenium: vidi in ſcholis meis, quas frequentaſti, diligentiam tuam ac lætatus ſum de præmio ſtudiorum tuorum, quod nuper ampliſſimus philoſophorum noſtrorum ordo tibi decreuit. Spem præ te habes, fore, vt patriæ atque eccleſiæ multos litterarum fructus adferas atque imaginem paternæ eruditionis, in te conſpicuam, exhibeas eamdemque tibi vindices laudem. Propter has cauſſas non poſſum, quin tibi gratulandi munus præſtem atque immortalem deum implorem, velit te conſeruare atque omnes res tuas ita fortunatas efficere, vt ſemper copioſiorem habeas materiam, ſapientiam eius ac benignitatem religioſe ac caſte celebrandi. Ien. d. II. apr. M DCC XXXIX.

VIRO

VIRO
PRAECLARISSIMO DOCTISSIMOQVE
OTTONI LVDOVICO KOENIGSMANNO,
ARTIVM MAGISTRO DIGNISSIMO
S. P. D.
IO. PET. REVSCH
PHILOS. PRIMAE ET RATION. PROFESSOR.

Ea eſt proh dolor! humanæ plerumque ſortis viciſſitudo, vt optimorum parentum degenerent filii atque damnoſa ætas multum imminuat in poſteris. TV vero, DOCTISSIME PRAESES, præclariſſimo B. PARENTIS exemplo incitatus ſic in litterarum ſtudiis verſatus es, vt optima quæque de TVIS conatibus laboribusque ſperare liceat. B. PARENS magno eruditionis adparatu inſtructus egregia in eccleſiæ reique litterariæ vtilitatem deſtinavit atque molitus eſt: ſed morte occupatus multa reliquit inchoata, multa quoque perfecit, quibus tamen prelum

)(2 vlti-

vltimamque manun
igitur, ERVDITIS
cum adhuc paterni
cesseris: macte T
huic viæ, quam ha
ternas litterarum o
profer. Sic enim &
famæ & orbis litte
amplissime. Secund
scendisti cathedram
conatibus lucem a
sanctioribus. Non
philologicis peritiar
eum opus laudet a
sit verbis, si ipsa r
Quapropter ad vot
sus supremum hui
ardentissimis implo
nuat TVIS labori
fructus hinc in ecc
disseminentur largi
na fruere, quæ TV

Dabam Ienæ d.

CIↃ

nanum iniicere non potuit. TV
DITISSIME KOENIGSMANNE,
aternis vestigiis laudabiliter in-
cte TVA virtute porro insiste
am hactenus calcasti; auge pa-
rum opes, auctasque in lucem
enim & B. PARENTIS & TVAE
is litterarii commodis inseruies
ecunda iam vice PRAESES con-
edram philosophicam TVISque
em affundere allaborasti litteris
Non ergo est, vt TVAM in
peritiam mea commendet oratio,
udet artificem: atque non opus
ipsa rerum testimonia prostant.
ad vota pro TVA salute conuer-
n huius vniuersi moderatorem
imploro precibus, vt porro an-
laboribus atque studiis, quo
in ecclesiam remque litterariam
r largissimi. Vale atque fortu-
uæ TVAS exæquet perfectiones.
enæ d. VIII. id. April. A. S. R.
CIϽ DCC XXXIX.